Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



et senioribus annuantes quia deus fecisset ad illos. Surrexerunt autem
quidam de heresi pharisaeorum qui crediderunt dicentes Quia oportet circumdare
eos. Jubere eis servare legem moysi. Convenerunt ergo apostoli et seniores.
videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret surgens petrus
dixit ad eos Viri fratres vos scitis quia ab antiquis diebus in nobis elegit
deus per os meum audire gentes verbum evangelii et credere. Et qui novit cor
da deus testimonium perhibuit dans illis spiritum sanctum sicut et nobis et
nihil discrevit inter nos et illos fide purificans corda eorum. Nunc ergo
quid tentatis deum imponere iugum super cervices discipulorum quod
neque patres nostri neque nos portare potuimus. Sed per gratiam domini iesu credimus
saluari sicut et illi. Quadmodum et illi. Tacuit autem omnis multitudo et audi
rebant barnabam et paulum narrantes quanta fecisset deus signa et prodi
gia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt respondit iacobus dicens
Viri fratres audite me Symon narrauit quadmodum primum deus visi
tauit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant uerba prophe
tarum sicut scriptum est. Post hec revertar et edificabo tabernaculum dauid quod
cecidit et diruta eius reedificabo et erigam illud. ut requirant ceteri homi
nes dominum. et omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum dicit dominus faciens hec
Notum a seculo est domino opus suum. Propterea ego iudico non inquietandos eos
qui ex gentibus conuertuntur ad deum sed scribere ad eos ut abstineant
a contaminationibus simulacrorum et fornicationis et suffocatis sanguine. Moyses enim ex antiquis temporibus habet in singulis ciuitatibus
qui eum predicant in synagogis. ut per omne sabbatum legitur. Tunc placuit
apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis et mittere Antiochiam cum paulo et barnaba iudam qui cognominatur barsabas et
Silam viros primos in fratribus sedentes per manus eorum. Scripti et
seniores fratres his qui sunt antiochie et Syrie et Cilicie fratribus
et gentibus salutem. Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt
uos uerbis. euertentes animas vestras quibus non mandauimus Placuit
nobis collectis in unum eligere viros et mittere ad vos cum carissimis
nostris barnaba et paulo hominibus qui tradiderunt animas suas in nomine
domini nostri iesu xpi. Misimus ergo iudam et Silam qui et ipsi uobis ubique
referent eadem. Visum est enim spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere
uobis oneris quam hec necessaria ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorum. et sanguine et suffocato et fornicatione a quibus